

neuter adhuc possidet, res inter utrumque dividenda est.

3^o In casibus a lege prætermisissis vel obscure tantum expressis iudices agere debent secundum dictamen legis naturalis, quæ est æterna et universalis, ac in multis supplere debet legibus positivis: falsum est igitur eos modo prorsus arbitrario iudicare posse.

4^o Gravis inter theologos movetur quæstio, an scilicet iudex condemnare possit accusatum iudice convictum, cuius innocentiam scientia privata cognoscit. Fatentur 1^o eum absolvere teneri accusatum non sufficienter convictum, quamvis certissime sciat illum esse reum, puta, quia propriis oculis eundem vidit crimen patrantem; tenetur enim iudicare secundum allegata et secundum formas a lege præscriptas: nullum est periculum in dimittendo reum occultum, et multum adesset in violando formas iudicandi consuetas. 2^o Conveniunt eum damnare posse ac teneri accusatum iudice convictum, cuius innocentiam suspicatur, si eam non habeat ut certam, nec probationes allegatas destruere possit; nam iudiciarius ordo subvertetur si magistratus, ob privatam et fallibilem notitiam, ab allegatis et probatis recedere posset.

Tota igitur difficultas est an iudex, perfecte sciens accusatum esse innocentem, ad sententiam condemnationis ejus cooperari possit, supposito quod exterius plene sit convictus, et innocentiam ejus nulla ratione patefacere valeat. Affirmat *S. Th.*, 2 2, q. 64, art. 6, ad 3, et cum illo *Cajetanus*, *Sotus*, *Paludanus*, *Covarruvias*, *Sanchez*, etc., quia, ut ait *S. Th.*, non ipse occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem. Aliunde, iudex condemnans officio suo fungitur et gravissimam adimplet obligationem, videlicet obediendi formis lege statutis, sine quibus ordo societatis turbaretur. Negant vero *S. Bonaventura*, *Lessius*, *Sylvius*, *Pontas*, *S. Ligorius*, l. 4, n. 208, et alii multi, dicentes damnare innocentem, ut talem certo cognitum, esse intrinsece malum et nulla ratione fieri posse licitum. Lex quidem nonnullas præscripsit formas ordinarie sequendas ne iudex aliter agendo, facilius erret et injuste pronuntiet. Sed dici non potest formas sapienter institutas ad protegendum in-

juste vel insufficienter accusatos, imponere obligationem iudici sententiam damnationis pronuntiandi contra innocentem ut talem certo cognitum, licet injustis testimoniis iudice convictum. Cæterum, gravis hæc difficultas nunc apud nos non existit: *juratorum* enim est, et non iudicium, accusatum declarare reum vel innocentem, et iudices tantummodo pœnam lege determinatam applicant ei qui declaratur reus: supposito quod innocens a iuratis declaratus fuerit reus, iudices, pœnam ei, juxta legem, applicando, ferunt quasi speculativam decisionem circa casum *criminalitatis* sibi propositum, et damnum illius qui sic condemnatur eis imputari non potest. Jurati autem suam conscientiam semper sequi possunt et tenentur.

Multi, ut *Busenbaum* alios plures citans, *Ferraris*, *S. Ligorius*, arbitrantur in causis civilibus et criminalibus minoribus, ubi agitur tantum de pœnis pecuniariis, iudicem iudicare posse secundum allegata et probata, contra propriam scientiam, tum quia innocens per appellationem restitui poterit in integrum, tum quia bonum publicum cui cedere debet bonum privatum, exigit ut forma iudiciorum publicorum non subvertatur. Hæc opinio est communior et sat probabilis videtur ut iudex eam sequens inquietari non debeat.

De obligationibus iudicis relative ad accusatum.

1^o « Quoniam natura et ratio iudicii illud exposcit ut » sententia in subditos duntaxat feratur, » ut ait concil. Trid., sess. 14, cap. 7, requiritur ante omnia ut iudex habeat jurisdictionem in eos de quibus iudicat, alioquin sententia non esset tantum illicita, sed nulla.

2^o Iudex tenetur quamprimum accusatum interrogare ac iudicare, et lites a se delatas terminare, quia partes habent jus ut iudicium sine legitima causa non differatur: si ergo, ex dilatione injusta, damna vel majores sequantur expensæ, ex justitia reparandæ sunt.

3^o In examinandis ac terminandis litibus debitam adhibere debet diligentiam, ut, quantum in se est, rem cum

omnibus circumstantiis suis apprime noscat : deinde ferre debet sententiam secundum suam conscientiam et absque ullo respectu ad personas ; non despiciat pauperes, nec timeat divites aut potentes, sed judicet in æquitate, memor supremi Judicis cuncta judicia terræ aliquando reformantur.

4° Judex nullum munus aut præmium accipere potest pro ferenda sententia, sive justa, sive injusta : non pro justa, siquidem eam debet, et acciperet sine titulo ; nec pro injusta quæ nulla ratione vendi potest : idcirco quod sic acciperetur, procul dubio restituendum esset. Unde in Codice pœnali, art. 170 et seq. omnis magistratum corruptio per dona aut promissiones gravibus plectitur pœnis, tum in corruptis, tum in corruptentibus.

Communiter tamen excipiuntur levia munuscula sponte oblata in quibus non est periculum corruptionis, quia, cessante causa prohibitionis, ipsa cessat prohibitio. Unde Clemens VIII, in Sexto, l. 1, tit. 3, cap. 11, § *Insuper*, statuit ut iudices nullum munus vel quidquid aliud accipiant « nisi forsitan esculentum, vel poculentum, mera liberalitate » oblatum, quod paucis consumi possit diebus. »

De obligationibus juratorum (jurés).

Institutio juratorum, ab Anglis sumpta, in gratiam accusatorum fuit creata, ut factum a duodecim viris gravibus sorte designatis, nullo affectu maligno erga accusatum ut plerumque sibi ignotum ductis, examinatum ac ponderatum, certius agnoscat, et securitas societatis cum juribus accusatorum tutius concilietur.

Qui in catalogo juratorum lege statuto inscripti sunt et sorte ad sessionem curiæ dictæ *d'assises* designantur, munus sibi delatum summi esse momenti sciant, cum de maximis reipublicæ et privatorum commodis sæpe sibi oppositis simul agatur, et sententia iudicum ex illorum declaratione necessario ferenda sit : studeant ergo tanti ponderis officio recte fungi, nihil advertentes aut considerantes, præter rei veritatem et propriæ conscientiæ dicta-

men : secus agentes, perjuri fierent, contra justitiam mortaliter peccarent, et onus damnum reparandi sæpe induerent.

§ II. — De accusatore.

1° Monitio fraterna, denuntiatio fraterna, denuntiatio juridica et accusatio, inter se differunt. Monitio fraterna fit ipsi delinquenti, ut monitus vel perterritus se emendet et offensis satisfaciat ; denuntiatio fraterna fit superiori ut reum corrigat ; denuntiatio juridica fit magistratui, v. g., procuratori Reipublicæ, ut reus requiratur, puniatur, ad debitam satisfactionem adducatur, sine obligatione crimen aut delictum probandi : accusatio vero importat obligationem factum allegatum probandi.

2° In his quæ ad bonos mores et ordinem publicum spectant, solus procurator Reipublicæ proprie est accusator coram tribunalibus vel curiis appellationis, et onus allegata probandi suscipit : si iudices aut juratos convincere nequeat, reus absolvitur, et ipse non reprehenditur, nisi forte convinceretur ex mala fide egisse, corruptum fuisse, etc. Cod. pœn. art. 175 et seq.

3° Qui crimina vel delicta procuratori Reipublicæ denuntiaverunt, citari solent ut testes, et, præstito juramento, quæcumque viderint, audierint vel aliter sciverint, ante tribunal declarare tenentur, atque si falsi deprehenderentur testes, ad gravissimas damnarentur pœnas, in Cod. pœn. art. 361 et seq. statutas.

4° Olim quilibet privati, lege non prohibiti, ut excommunicati, proditores, infames, filii erga parentes, servi erga dominos, et clerici in causa sanguinis, reum accusare poterant et quandoque tenebantur in conscientia, sed in scriptis tantum et cum onere allegatum probandi, sub pœna talionis, id est, eandem subeundi pœnam ad quam damnatus fuisset accusatus convictus. Hæc consuetudo fuit reformata.

5° Verum qui crimina vel delicta in detrimentum reipublicæ vergentia cognoscunt, et ea procuratori Reipublicæ non denuntiant, graviter peccant, nisi legitima causa

excusentur, ut filii respectu parentum, conjux respectu compartis, servi respectu dominorum, clerici ubi agitur de sanguine, et alii qui officium denuntiatoris exercere non possunt absque gravi sui vel aliorum detrimento: excipitur casus in quo majus adhuc esset malum impediendum, v. g., proditio patriæ vel principis.

6° Attamen privati denuntiationem, quam pro bono societatis ordine facere deberent, omittentes, contra justitiam non peccant; secus vero procurator Reipublicæ reum non requirens nec accusans, cum debeat, item publici officiales principis, ut custodes sylvarum vel agrorum, vectigalibus præpositi, etc., quia ad damna in bonis sibi commissis impedienda aut præcavenda ex officio suo tenentur.

7° In causis civilibus pars quæ jus suum prosequitur vel satisfactionem postulat ut sibi debitam, probare tenetur quod affirmat, alioquin causa excidet et ad solvendas expensas damnabitur; hocque juri naturali maxime congruit, attento foro externo de quo hic tantum agitur.

§ III. — De testibus.

Hic non loquimur de qualitatibus et numero testium, de modo eos citandi et interrogandi, de valore testimoniorum, etc.; hæc enim ad forum externum pertinet.

1° Qui in judicium non fuit appellatus, non tenetur ex justitia ad testificandum se offerre, ut omnes fatentur: sed quandoque tenetur ex charitate, v. g., si testimonio suo innocentem facile liberare possit, gravem injustitiam impedire, damni reparationem procurare, etc.

2° Testis legitime citatus tenetur sub peccato mortali coram justitia se sistere, juramentum art. 75 Codicis de *instructione criminali* præscriptum emittere, videlicet totam veritatem et nihil præter veritatem dicendi, deinde interrogationibus simpliciter juxta suam conscientiam respondere. Si falsum scienter dicat, est perjurus, justitiæ violator, ad reparationem damni obligatus, et gravissimis pœnis art. 361 et seq. Cod. pœnalis statutis plectendus.

Si autem fugiat ne citetur, aut citatus non compareat, aut comparens non respondeat, aut veritatem sibi notam taceat, graviter peccat contra charitatem, et, juxta multos, contra justitiam, aliis tamen multis negantibus, ut in *Tractatu de Restitutione* dicemus.

3° Jure naturali a ferendo testimonio eximuntur 1° qui rem sciunt sub secreto confessionis vel sub secreto naturali, ut medicus, advocatus, theologus, etc., et respondere possunt se nescire, subintelligendo, ad revelandum, *ut supra diximus*; 2° qui rem accepit a viris non fide dignis, quia testimonium suum nullius esset roboris: *ita communiter theologi*: rectius tamen agere nobis videretur si rem simpliciter narraret ut eam novit; 3° qui scit alterum mortaliter non peccasse, judex enim censetur interrogare de delicto graviter culpabili; 4° qui, ex testificatione sua, grave sibi vel suis damnum prævidet adventurum, nisi avertendum sit damnum publicum, vel proximi longe gravius; 5° pater, filius, conjux, fratres et sorores aliique consanguinei et affines in primo et secundo gradu, ut generaliter docent theologi. Quidam volunt exceptionem admittendam esse usque ad quartum gradum: silent leges nostræ circa has exceptiones; quoad famulos et domesticos tenet P. *Antoine* sequendam esse praxim in foro contentioso receptam, et citatos atque interrogatos respondere teneri; 6° infantes, pueri, amentes et ii omnes qui plenum rationis usum non habent, quia testimonii alicujus ponderis sunt incapaces. In Codice instructionis crim., art. 79, statuitur infantes utriusque sexus annos quindecim nondum natos, audiri posse per declarationis formam, absque juramenti præstatione.

4° Testis in supradictis casibus aliisque similibus judici interroganti respondere non tenetur; subterfugere, tergiversari potest et etiam dicere, si a responsione abstinere nequeat, se nescire, scilicet ad dicendum.

5° Qui falsum malitiose deposuit, tenetur ex justitia falsum testimonium revocare cum pari suo damno, etiam cum periculo vitæ, si accusatus, vi testimonii falsi, ad mortem fuerit damnatus. Qui vero ex ignorantia invinci-

bili, inadvertentia aut oblivione inculpabili falsum declaravit, tenetur quidem id quod dixit retractare et damnum eo modo quo potest impedire, non vero illatum reparare, nec grave detrimentum ad tollendam causam inculpabiliter positam subire, cum non peccaverit. Si autem venialiter peccavisset, teneretur et testimonium reformare et damnum ex parte peccato veniali correspondenti reparare, secundum dicta in Tractatu *de Restitutione*.

6^o Qui falsos adhibent testes, procul dubio contra justitiam peccant, et damnum, si quod inde sequatur, reparare primario tenentur; item qui falsa conficiunt instrumenta aut vera adulterant, sicque injustam obtinent sententiam.

Res patet.

Qui scripturam, chirographum, apocham, supponit aut adulterat, etiam ad supplendos actus perditos et ad jus certum prosequendum, vel hujusmodi actibus falsis aut falsificatis utitur in judicio, mortaliter peccat, quia legem positivam id sub gravissimis pœnis prohibentem, Cod. pœn. art. 145 et seq., transgreditur, judices in re gravi decipit et bonam fidem in societate prorsus necessariam, quantum in se est, subvertit. Non tamen ad restitutionem tenetur, modo nihil ultra jus suum certum obtinuerit, et injustum damnum non intulerit. Sœcus teneretur, ut evidens est.

§ IV. — De reo.

1^o Reus, sic dictus a re quæ petitur vel super qua convenitur, sive sit convictus, sive non, non tenetur ultro se accusare, nec scripturas aliave instrumenta contra se subministrare; imo potest ea occultare vel destruere, sicut potest se abscondere, fugere et sui apprehensionem vitare, quia sic agendo tantummodo se defendit per media licita.

2^o Apprehensus et incarceratus adhuc fugere potest, sive ante, sive post sententiam mortis, triremium, exsilii vel carceris perpetui, nisi forte bonum publicum contrarium postulare, quia repugnat aliquem, bono publico id non exigente, gravem teneri subire pœnam afflictivam quam vitare potest. *Ita communiter doctores.* Imo proba-

bilius fugere posset, etiamsi custos carceris grave damnum inde passurus esset, nisi promisisset se mansurum esse, quia jure suo utitur, et in damnum alterius positive non influit, sed tantum occasionaliter. Sic *Lessius*, *Busenbaum*, *La Croix*, *Ferraris*, etc., qui concedunt etiam illum artibus decipere posse custodem, modo non mentiatur; carcerem effringere, licet alii captivi per effractionem simul elabantur; nec probabiliter damnum ex effractione proveniens reparare teneri, quia cum finis sit licitus, ex suppositione, media quæ per se mala non sunt debent pariter esse licita. *S. Ligorius* idem sentit, excepto casu quo ipse carcer, non in momentaneam custodiam, sed in pœnam fuisset per sententiam assignatus.

Plures tamen, inter quos *Navarrus*, *Sylvester*, *Cajetanus*, *S. Ligorius*, negant reum, cui carcer etiam perpetuus per sententiam fuit assignatus in pœnam tuta conscientia fugere posse, quia datur ipsi obligatio in pœna justa sistendi, nisi forte ei non subministrentur necessaria ad sustentationem, vel carcer sit nimis tristis, « quia videtur supra vires humanas aliquem obligari ad se non liberandum, cum possit sine vi et resistentia, a pœna valde dura, » inquit *S. Ligorius*, l. 4, n. 280. Nos vero in utroque casu reum e carcere fugientem, absque vi et alterius injuria, damnare nollemus, præcise ob rationem a *S. Ligorio* allegatam, quæ in priori sicut et in posteriori applicanda nobis videtur.

3^o Qui non sunt ministri justitiæ reum adjuvare possunt ut fugiat, non solum consilio et exhortationibus, sed instrumentis, puta, funibus, lima, vestibus ad habitus mutationem, etc., quia finem alicui licitum suadere atque media licita ad eum consequendum proponere licet. Non tamen eum in effractione carceris adjuvare liceret, alioquin omnis securitas carcerum tolleretur. *Est communis sententia.*

Merito excipiuntur justitiæ ministri, qui contra suum officium agerent. Excipiendus est pariter confessarius, qui licentia carcerem introeundi abuteretur, si reos ad fugiendum quocumque modo adjuvaret.

4° Reus non legitime interrogatus crimen suum fateri non tenetur, sed verbis ambiguis aut aliqua restrictione mentali in bono sensu intellecta utendo, iudicem eludere potest, modo stricte non mentiatur; quia iudex non habet jus confessionem ejus obtinendi, nisi juridice procedat. Unde si iudex non sit legitimus, si potestas ejus sit dubia, si a seipso et absque prævia accusatione saltem virtuali interroget, si non præcesserit semiplena probatio, aut infamia, et manifesta non exstet criminis indicia, reus non tenetur respondere, quia non legitime interrogatur, et prius exigere potest ut status causæ cum probationibus, iudiciis, testibus, sibi manifestetur. *Sic omnes theologi.*

5° Si reus juridice quidem interrogetur, sed ex falsa delicti præsumptione, v. g., an tali nocte exierit cum ense, negare potest, delicto non admissio, subintelligendo se ad delictum non existiisse, aut delictum non commisisse, quia si iudex veritatem sciret, eum damnare non posset: non ergo proprie decipitur. Ita *Busenbaum, La Croix, Ferraris, S. Ligorius*, etc., contra plures alios qui hic vident restrictionem stricte mentalem.

6° Reus juridice interrogatus de crimine aut delicto a se vere commisso, veritatem simpliciter confiteri tenetur sub mortali, si nulla sit spes evadendi, juxta omnes, et etiamsi alias esset spes evadendi, juxta communem sententiam; quia iudex habet jus veritatem a reo petendi: repugnat autem reum simul habere jus eam negandi.

Probabile tamen videtur *Lessio, Busenbaum, La Croix, S. Ligorius*, etc., eum ad talem confessionem non obligari ubi aliqua spes evadendi affulget, et de gravi pœna agitur; durior enim esset lex qua aliquis teneretur sub peccato seipsum ad gravissimam pœnam damnare, crimen suum confitendo, nisi bonum publicum id exigeret. Imò, in præsentî rerum statu apud nos vigenti, ex quo rei ad juramentum non adstringuntur, nec interrogantur ut ex confessionibus judicentur, bene vero ut in contradictionem injiciantur et iudices vel jurati convictionem obtineant, qui mentitur mortaliter peccare non videtur; non enim peccat contra juramentum, sicut olim, cum non juret; nec

contra obligationem veritatem fatendi, siquidem id ab ipso non exigitur nec postulatur.

Cæterum omnes fatentur confessarium relinquere posse et debere in bona fide reum crimen suum in eo casu negantem, si spes eum ad revelationem adducendi non affulgeat; tunc enim monitio obesset et prodesse non posset.

Item reus qui crimen suum injuste negavit, ad illius manifestationem non est addicendus post latam sententiam, quia finito judicio finitur obligatio, inquit cum *Layman* et aliis pluribus, *Busenbaum, La Croix* et *S. Ligorius*; et si, non obstante sua negatione, ad supplicium damnetur, confessarius probabilius exigere non potest ut publice vel private se retractet. *Ferraris, v° Reus, n. 30.*

Advertendum tamen quod, si ex negatione delicti injustum sequeretur damnum erga alterum, reparandum esset.

7° Reus qui metu tormentorum falsum sibi imposuit crimen quo plectendus est morte, mortaliter peccat, secundum *P. Antoine*, quia directe et positive in injustam sui occisionem influit; venialiter tantum peccaret, nempe mendacio, juxta multos alios, quia nemo tenetur cum tantis tormentis propriam tueri vitam. Verum hæc quæstio pure speculativa facta est apud nos, ex quo interrogatio per tormenta feliciter abolita est sicut et juramentum ab accusatis emittendum omnem dicendi veritatem. *Bened. XIII* jam statuerat, in concilio Romano, juramentum per reos criminaliter inquisitos præstandum, tollendum et submovendum esse, sic præludens dispositioni in legibus nostris sapienter adoptatæ.

8° Si reus habuerit complices qui remanserint occulti, et aliis iudiciis vel testimoniis convinci non possint, eos manifestare non debet nec potest, nisi bonum publicum vel justitia erga tertium contrarium postulet. *Sic communiter theologi, et ratio patet.* Secus, non magis pro illis quam pro seipso veritatem celare posset.

9° Accusatus, etiam prorsus innocens et alias mortem injustam passurus, falsum crimen testibus sibi adversis imponere non potest ad elidendam eorum calumniam, quia

non sunt facienda mala ut eveniant bona. Unde Innocentius XI hanc damnavit propositionem : « Probabile est » non peccare mortaliter qui imponit alteri falsum crimen » ut suam justitiam et honorem defendat. » Crimina vero realiter existantia, sed occulta, revelare posset, ad infirmandum eorum testimonium injustum. Hæc decisio probabilius extendi potest ad accusatum non innocentem, sed cujus crimen est occultum; tunc enim jus habet ad suum honorem : illum ergo contra accusatorem aut testem ad probandum insufficientem etiam occulta crimina ejus revelando defendere potest, quia in eo casu accusans aut testis reputatur in jure calumniator. Ita *S. Ligorius*, cum pluribus, l. 4, n. 277.

1^o Reus per sententiam justam et juridice latam damnatus, ad judicem superiorem appellare non potest, quia nihil aliud esset quam illum ad injuste judicandum inducere; secus vero, si sententia foret injusta vel injuste lata, scilicet, non servatis regulis lege statutis, aut si dubitaret an esset injusta, quia in tali incertudine ipsi licitum est judicio superioris tribunalis se committere. Sic *Busenbaum*, *La Croix*, *S. Ligorius*, l. 4, n. 285, etc.

§ V. — De avvocato.

1^o Non omnes indiscriminatim officium advocati exercere possunt; quidam enim lege civili prohibentur; nempe ii omnes qui in elencho advocatorum non fuerint inscripti; et alii qui legibus ecclesiasticis arcentur, scilicet monachi, clerici in sacris Ordinibus constituti, et etiam simplices clerici beneficium ecclesiasticum possidentes, ut expresse habetur in *Decret.*, l. 1, tit. 37, cap. 1 et 2, et omnes doctores theologi, notante *Bened. XIV*, de Synodo diocesis, l. 13, cap. 10, n. 12. Excipitur nisi propriam causam vel ecclesie suæ fuerint secuti, aut pro miserabilibus personis quæ propria negotia gerere non possunt, gratis causam agant, vel in causa criminali defensionem innocentis suscipiant.

2^o In materia criminali procurator Reipublicæ reum du-

bium accusare non potest, et accusationem inceptam derelinquere tenetur; nam in dubio judices pœnam decernere non possunt: ergo nec minister publicus eam prosequi debet, alioquin judices ad iniquam sententiam impelleret.

3^o In materia civili, nec dictus procurator nec alius advocatus causam certo injustam sustinere queunt, et si eam defendendo, injustam obtineant sententiam, onus damnum reparandi, defectu eorum in quorum gratiam cedit sententia, incurunt, *ut patet*.

4^o In dubio partem etiam minus probabilem suscipere possunt defendendam, modo judicent eam esse vere probabilem, quia sperare possunt fore ut veritas elucescat et judices eam judicaturi sint probabiliores.

5^o Advocatus a cliente interrogatus tenetur causam examinare cum diligentia rei gravitati proportionata, fidelitatem ei servare, causæ justitiam vel injustitiam aperire, probabilitatem eam obtinendi vel perdendi cum simplicitate indicare, alioquin sumptus ad quos eum impulsisset resarcire teneretur.

6^o Abstinere debet a fraudibus, falsis probationibus, conviciis aliisque mediis injustis contra partem adversam; nam tunc injuriam ei faceret eamque reparare deberet.

7^o Si causam in bona fide susceperit saltem ut probabilem, et in decursu processus advertat eam esse certo injustam, clienti suadere debet ut desistat, si possit; sin autem, litigare potest ut honorem suum non lædat, sed ita ut iudicibus fucum non faciat: nemo quippe talem illius agendi rationem merito redarguere potest.

8^o In causa vero criminali advocatus defendere potest accusatum cujus crimina certo cognoscit, quia sicut reus pœnam quam meruit tuta conscientia declinare potest, sic et avvocato licitum est quærere media impediendi ne convincatur, modo nec mendacio nec aliis fraudibus utatur.

9^o Advocatus tenetur ex justitia competentem scientiam habere, causam cum debita diligentia prosequi, ad eam defendendam convenienter se præparare, media eam de-

fendendi parti adversæ non revelare, eam in dilationes clienti damnosas non protrahere, etc. Unde contra justitiam graviter peccat qui non peritus aut non satis idoneus, v. g., qui facultate loquendi modo ad persuadendum idoneo non est præditus, nihilominus officium advocati suscipit, aut susceptum negligit vel male adimplet.

10º Nihil accipere potest ultra justum pretium, scilicet taxatum ubi existit, et si non existat taxatum, judicio prudentium determinatum, habita ratione negotii, peritiæ advocati, laboris quem impendit et consuetudinis receptæ: quod tale pretium excedit, est injustum, nec permittitur advocato pacisci cum cliente de aliquota rei parte si vincat, ne fraudibus detur locus. Sic cum *Busenbaum, La Croix, S. Ligorius, P. Antoine, Ferraris, etc.*

In extrema vel gravi necessitate pauperum, tenetur advocatus ex charitate et sub peccato mortali gratis eis patrocinari, sicut medicus et chirurgus opem eisdem ægrotantibus ferre debent. *Ita omnes.*

FINIS TRACTATUS DE DECALOGO.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIAE.

Ex probatis in Tractatibus *de vera Ecclesia et de Legibus*, constat Ecclesiam accepisse a Christo potestatem condendi præcepta sub peccato mortali obligantia; constat insuper, ex variis juris canonici partibus, multas hujusmodi leges seu præcepta existere tum respectu fidelium, tum respectu clericorum, tum respectu omnium simul.

Præcepta Ecclesiae generalia clericos et fideles simul obligantia reducuntur ad sex, quæ habent pro objecto festorum sanctificationem, auditionem missæ diebus dominicis, confessionem annualem, communionem paschalem, jejunium Quatuor Temporum, Vigiliarum et Quadragesimæ, ac tandem abstinentiam a carnibus diebus veneris et sabbati.

Sufficienter egimus de auditione missæ ubi de tertio Decalogi præcepto disseruimus, de confessione annuali et communionem paschali in specialibus *de Poenitentia et Eucharistia* Tractatibus. Restat igitur ut in triplici capite agamus 1º de festorum sanctificatione, 2º de jejunio ecclesiastico, et 3º de abstinentia a carnibus.

CAPUT PRIMUM.

DE FESTORUM SANCTIFICATIONE.

Hic breviter dicemus 1º de potestate instituendi festa, 2º de eorum objecto, 3º de præcipuorum Ecclesiae festorum numero et institutione, et 4º de ritu ea celebrandi.

ARTICULUS PRIMUS.

DE POTESTATE INSTITUENDI FESTA.

1º Nullus catholicus dubitare potest quin sit in Ecclesia